Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35268
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten

Collacio beneficii resignanti auctoritate apostolica causa permutacionis et processus super eo

Universis presentes litteras inspecturis . a. miseracione divina electus . 189 .
in domino . Nomine nos litteris sanctissimi etc. Postquam quidem
litterarum recepcionem districtius coram a. et b. in nostra presencia constituti vide-
licet dixit quod ipse decaniam protoscolarie ecclesie dyocesis quam in beneficium sibi col-
latum obtinebat dictusque b. quod ipse canonicatum et prebendam quos ipse in ecclesia obti-
nebat volebant invicem permutare . aut insuper ex causa permutacionis huiusmodi
faciende dictus a. dictam decaniam dictusque b. canonicatum et prebendam predictos in nostris
manibus libere resignaverunt Nosque prestito prius per ipsos a. et b. et eorum
quolibet ad sancta dei ewangelia corporaliter iuramento . quod ex parte ipsorum seu alterius eorum
in premissis non intervenit fraus aliqua sive dolus aut paccio illicita
aliqua symonie resignaciones ipsas auctoritate litterarum apostolicarum predictarum recepimus
Quapropter nos volentes . in huiusmodi negocio procedere . iuxta litterarum apostolicarum
formam canonicatum et prebendam predictos in manibus nostris tunc permutacionis resignatos et
per resignacionem huiusmodi vacantes cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dicto a.
tenore presencium auctoritate predicta conferimus et providemus de illis ipsumque in-
vestimus per nostrum anulum presencialiter de eisdem preferentes ipsum in assignacione
canonicatus et prebende predictorum omnibus et singulis in ecclesia eadem in canonicos
sub expectacione prebendarum receptis a quibuscumque aliis in ecclesia ipsa vel in
illis partibus beneficia expectantibus secundum predictarum litterarum continenciam et tenorem
Quo circa monemus primo secundo et tercio et peremptorie decanum et capitulum ac singulos canonicos
dicte ecclesie . ceterosque in eadem dignitates personatus administraciones et officia habentes
et omnes et singulos alios quorum interest vel intererit eisque auctoritate predicta
in virtute sancte obediencie districte precipiendo Mandamus quatenus ipsi et eorum
cuilibet prout ad ipsos coniunctim vel divisim pertinet . infra sex dies
post presentacionem notificacionis presencium eis factam quorum duos pro
primo etc et peremptorie ultimo tercio ac monicione canonica eis et cuilibet
assignamus eundem a. vel procuratorem suum eius nomine ad canonicatum et prebendam
predictos prout sibi collatos recipiant in fratrem suum et dicte ecclesie canonicum
et in fratrem et in corporalem possessionem ipsorum canonicatus et prebende et pertinenciarum ipsarum
sine difficultate qualibet admittant stallo sibi in choro et loco in capitulo
cum plenitudine iuris canonici assignantes et ei vel eius procuratori pro eo de
ipsorum canonicatus et prebende fructibus redditibus proventibus iuribus et obvencionibus universis
respondeant et faciant ab aliis responderi / Inhibentes nichilominus et in dictis.